



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. I. Quattuor sunt ordines Mendicantium primarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

ORDINVM  
**MENDICANTIVM**  
 ORIGINES,  
 Dominicanorum, Franciscanorum,  
 Augustinianorum, Carmeli-  
 tarum, & alio-  
 rum,

LIBER III.

CAP. I.

*Quattuor sunt Ordines Mendicantium  
 primarij.*



TSI multæ sint Religiofo-  
 rum hominum Cōgregatio-  
 nes priuilegijs Mendicantiū  
 gaudentes; quattuor tamen  
 primarij censentur Mendic-  
 antium Ordines, videlicet  
 Dominicanorum, Franciscano-  
 rum, Augustinianorum & Carmelitarum. Ex his  
 tres priores, non modò per Europam, sed  
 etiam per Indiam Orientalem & Occidenta-  
 lem, plurimos habent conuentus, magno Re-  
 ligionis Christianæ commodo atque augmē-  
 to

to. Sed & Carmelitæ Discalceati, Patrum memoria, per B. *Teresiam* virginem Hispanam, ad veteris disciplinæ cultum excitati, magno animarum zelo, in vtramque Indiam, atque ipsam Persiam penetrarunt. In qua quidē Persiæ prouincia sedulam quoque Euangelicæ prædicationi operam nauant Augustiniani Eremitæ; vt Franciscani potissimùm in Syria, Aegypto, Græcia, alijsque Turcici Imperij prouincijs præstant.

## CAPVT II.

*Ordo Prædicatorum per S. Dominicum institutus.*

**D**ominicus Calarogæ in Hispania, ex nobili Gusmanorum familia natus, Palentiæ liberalibus disciplinis & Theologiæ operam dedit: quo in studio cùm plurimùm profecisset, prius Vxonensis Ecclesiæ Canonicus regularis, deinde ordinis Fratrum Prædicatorum auctor fuit. Huius mater grauida sibi visa est in quiete continere in aluo catulū, ore præferentem facem, qua editus in lucem orbem terrarum incenderet. Quo somno significabatur, fore vt splendore sanctitatis ac doctrinæ eius gentes ad Christianam pietatē inflammarentur. Veritatem exitus comprobauit: id enim & præstitit per se, & per sui ordinis socios deinceps est consecutus.

Huius autem ingenium ac virtus maximè enituit in euertendis Albigensibus hæreticis,  
qui